

Sensit enim uir prudentissimus, laxamentum & recreationem animi, rem omnino necessariam esse, idque in primis in uita utile, ut animi optimo moderamine ita temperarentur, ut nec mœrore deiectioni torperent, nec rursus plus æquo insolescerent. Quod ipsum animaduertens Plato, Musicam adeo ad Rempub. pertinere arbitratus est, ut de ea diligentissime cauerit. Nec ulla gens usquam tam feris fuit moribus, à qua prorsus exularit Musica, quin potius ad Deum autorem omnes tam frugum inuentum retulerunt. Porro cum uaria sint instrumentorum genera, quibus Musica exerceri potest, plurimum inter cætera tum suauitatis, tum commoditatis in utendo præbere uidetur, id instrumenti genus, quod à forma testudinem appellant, per quod protensæ chordæ, legitimis interuallis in collo (quod ueluti manubrium quoddam est) distinguuntur, quæ cum læua contrectantur, occupata interim dextra in chordarum pulsû, auribus amicam reddunt harmoniam. Huic instrumento in Italia agens, aliquandiu uacauit, peragratis postea multis regionibus complures optimi generis cantiones à præstantissimis artificibus adeptus sum. Hoc cum non obscurum esset nonnullis amicis meis, non destiterunt me precibus obtundere, ut selectiores quasdam, partim ab alijs, partim à me ipso in tabulas redactas inuulgarem, id quod tandem post multas reluctationes impetrarunt. Cogitanti autem mihi cui potissimum has laborum meorum primitias dedicarem, optimum mihi uisum est, eas sub felicis tui nominis auspicio in publicum prodire, Princeps illustris. ut meæ ergo Maiest. T. obseruantia extaret argumentum, imitatus ueterem agricolarum ritum, qui frugum primitias religiose Dijs offerebant, ut pietatem suam hoc modo testarentur. Has autem cantiones (licet indignæ sint, quæ tanto regi mittantur) non ingratas tamen Maiestati tuæ fore confido, quod nota mihi sit singularis Maiest. Tuæ in literas & literatos, ac Musicæ cultores uoluntas ac fauor. Tibi igitur Princeps Illustrissime hoc quicquid est laboris summa cum reuerentia offero, submisse rogans ut libellum exiguum Maiestas tua, læta fronte suscipere dignetur. Quod si hunc ipsum Maiest. Tua non grauatim suscepit

suscepit